

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1079

1077

1083

1073

1088

1068

1028

0978

0578

0078

Ende

Anfang

506

ecclesias aedificarent, non debet fidelis contribuere ad aedificationem ecclesiae schismaticorum. Pro quo recitare convenit hoc, quod mihi anno praeterito contingit. In festo S. Michaelis dum starem Ulmae et populo in ecclesia praedicarem, venit quidam sub sermone offerens mihi bullam, petens eam populo legi, sicut sub officio lecta et pronuntiata fuerat in ecclesia parochiali. Erat autem littera grandis, cum solemni sigillo domini patriarchae Alexandrini, qui residentiam Romae habet, et ejus tenor erat, quod ecclesia sanctae Catharinae in monte Synai indigeret restauratione, ad quam populus deberet magis porrigere adjutrices et hoc facientibus dabantur indulgentiae (b) copiosae. Stabat autem lator litterae, monachus graecus, senex, juxta altare sanctae crucis prope ambonem in facie mea et reliquaria sua exposuerat cum ornamentis et candelis accessis, in altari stans paratus colligere pecunias et populus erat intentus in me et in eum. Praelecta littera dixi populo planis verbis: Ecce, hic stat unus frater montis Synai, de sanctissimo loco, in quo fui, et petit ad restaurationem ecclesiae sanctae Catharinae et contribuentibus promittuntur indulgentiae a patriarcha Alexandrino; hoc hortor vos in Domino, ut nihil detis illi fratri, quia est schismaticus, haereticus et infidelis, nec deberet admitti ad ecclesias nostras, nec interesse divinis, cum sit anathematizatus. Secundo nullam pecuniam date ad restaurationem ecclesiae S. Catharinae, etiamsi ruinam minaretur, quod tamen non est, cum sit integerrima; nam ecclesia illa hodie, heu, non est catholica, sed haeretica et Latinis de romana ecclesia ibi existentibus non est locus in eadem ecclesia nec celebrandi, nec officia sua peragendi, imo nobis potentibus nec lectio nec cantus fit ab eis in illa ecclesia, quia excommunicatam ecclesiam romanam tenent. Ideo dimittamus illam ruere. Tertio ille dominus patriarcha dans indulgentias ad illam ecclesiam vel non fuit bene informatus vel littera est subreptitia, quod magis credo, non enim debet catholicus episcopus dare indulgentiam ad unam anathematizatam ecclesiam, nam monachi illius monasterii habent in oriente abbatem vel patriarcham, cui obediunt, nec illum, qui Romae residet, curant, solum enim titulum habet et est patriarcha Alexandrinus, tamen Alexandriam numquam vidit, nec forte

